

eadem enim essentia est quæ est res habens esse naturaliter, & verbum intelligibile sui ipsius.

Ex his etiam quæ dicta sunt, potest esse manifestum quod relationes in Deo sunt secundum rem, & non solo intellectu. Omnis enim relatio quæ consequitur propriam operationem alicujus rei, aut potentiam, aut quantitatem, aut aliquid hujusmodi, realiter in eo existit: aliter enim esset in eo solo intellectu, sicut apparet de scientia, & scibili: relatio enim scientiæ ad scibile consequitur actionem scientis, non autem actionem scibilis: scibile enim eodem modo se habet, quantum in se est, & quando intelligitur, & quando non intelligitur: & ideo relatio in sciente realiter est, in scibili autem secundum intellectum tantum: dicitur enim quod intelligitur scibile ad scientiam relative, ex eo quod scientia refertur ad ipsum. Simile quoque apparet in dextro, & sinistro: in animalibus enim sunt distinctæ virtutes ex quibus relatio dextri, & sinistri consurgit; propter quod talis relatio vere & realiter in animali consistit: unde qualitercumque vertatur animal, semper relatio eodem modo manet, nunquam enim pars dextera sinistra dicitur. Res vero inanimatæ quæ prædictis virtutibus carent, non habent in se hujusmodi relationem realiter existentem, sed nominantur secundum relationem dextri, aut sinistri ex eo quod animalia aliquo modo se habent ad ipsum: unde eadem columna nunc dextera, nunc sinistra dicitur, secundum quod animal ex diverso situ ei comparatur. Relatio autem verbi ad Deum dicentem, cuius est verbum, in Deo ponitur ex hoc quod Deus se ipsum intelligit: quæ quidem operatio in Deo est, vel magis est ipse Deus, ut supra ostensum est. Relinquitur igitur prædictas relationes in Deo esse vere & realiter, non solum secundum intellectum nostrum.

Quamvis autem in Deo ponatur esse relatio, non tamen sequitur quod in Deo sit aliquid habens esse dependens. In nobis enim relationes habent esse dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantiæ, unde habent proprium modum essendi secundum propriam rationem, sicut in aliis accidentibus contingit: quia enim omnia accidentia sunt formæ quædam substantiæ superadditæ, & à principiis substantiæ causatæ, oportet quod eorum esse sit superadditum supra esse substantiæ, & ab ipso dependens: & tanto uniuscujusque eorum esse est prius, vel posterius, quanto forma accidentalis secundum propriam rationem fuerit propinquior substantiæ, vel magis perfecta. Propter quod & relatio realiter substantiæ adveniens & postremum, & imperfectissimum esse habet. Postremum quidem, quia non solum præexistit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio; sicut unum in quantitate causat æqualitatem, & unum in qualitate similitudinem. Imperfectissimum autem, quia propria relationis ratio consistit in eo quod est ad alterum: unde esse ejus proprium quod substantiæ superaddit, non solum dependet ab esse substantiæ, sed etiam ab esse alicujus exterioris. Hoc autem in divinis locum non habet, quia non est in Deo aliquid aliud esse quam substantiæ: quidquid enim in Deo est, substantia est. Sic igitur esse scientiæ in Deo non est esse dependens à substantia, quia esse scientiæ est esse substantiæ; ita nec esse relationis est esse dependens neque à substantia, neque ab aliquo exteriori, quia etiam esse relationis est esse substantiæ. Non igitur per hoc quod relatio in Deo ponitur, sequitur quod sit in eo aliquid

(1) Al. deest illa. (2) Vulgata: *Ecce formans montes, & creans ventum, & annuntians homini eloquium suum.*

esse dependens, sed solum quod in Deo sit respectus aliquis, in quo ratio relationis consistit; sicut ex hoc quod sapientia in Deo ponitur, non sequitur quod sit in eo aliquid accidentale, sed solum perfectio quædam, in qua ratio sapientiæ consistit.

Per quod etiam patet quod ex imperfectione quæ in relationibus creatis esse videtur, non sequitur quod personæ divinæ sint imperfectæ, quæ relationibus distinguuntur; sed sequitur quod divinarum personarum minima sit distinctio.

Patet etiam ex prædictis quod licet Deus de patre, & filio substantialiter prædicetur, non tamen sequitur, si pater, & filius sint plures personæ, quod sint plures dii: sunt enim plures propter distinctionem subsistentium relationum, sed tamen sunt unus Deus propter unitatem essentiæ subsistentis. Hoc autem in hominibus non contingit ut plures aliqui sint unus homo, quia essentia humanitatis non est una numero in utroque, neque essentia humanitatis est subsistens, ut humanitas sit homo.

Ex hoc autem quod in Deo est essentiæ unitas, & relationum distinctio, manifestum fit quod nihil prohibet in uno Deo opposita quædam inveniri, (1) illa dumtaxat opposita quæ relationis distinctionem consequuntur, ut generans, & genitum, quæ opponuntur relative; & genitum, & ingenitum, quæ opponuntur ut affirmatio, & negatio. Ubicumque enim est aliqua distinctio, oportet invenire negationis, & affirmationis oppositionem: quæ enim secundum nullam affirmationem, & negationem differunt, penitus indistincta sunt. Oportet enim quod quantum ad omnia unum esset quod est alterum, & sic essent penitus idem, & nullo modo distincta.

Hæc igitur de generatione divina dicta sufficiant.

CAPUT XV.

De Spiritu Sancto quod sit in divinis.

Divinæ autem Scripturæ auctoritas non solum nobis in divinis patrem, & filium annuntiat, sed his duobus Spiritum Sanctum connumerat: dicit enim Dominus Matth. ult. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filii, & Spiritus Sancti: & I. Joann. v. 7. Tres sunt qui testimonium dant in cælo: pater, verbum, & Spiritus Sanctus.* Hujus etiam Spiritus Sancti processionem quamdam sacra Scriptura commemorat: dicit enim Joann. xv. 26. *Cum venerit paraclytus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

CAPUT XVI.

Rationes ex quibus aliqui Spiritum Sanctum existimaverunt esse creaturam.

Opinati sunt autem quidam, Spiritum Sanctum creaturam esse, aliis creaturis celsiorem: ad cuius assertionem sacra Scripturæ testimoniis utebantur.

1. Dicitur enim Amos iv. 13. secundum litteram Septuaginta; (2) *Ecce formans montes, & creans spiritum, & annuntians homini verbum ejus: & Zachariæ xii. 1. dicit Dominus: Extendens cælum, & fundans terram, & creans spiritum hominis in eo.* Videtur igitur

quod

quod Spiritus Sanctus sit creatura.

2. Adhuc. Dicit Dominus Joannis xvi. 13. de Spiritu Sancto loquens: *Non loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur.* Ex quo videtur quod nihil ultionæ potestatis auctoritate loquatur, sed jubenti per ministerium famuletur: loqui enim quæ quis audit, famulantis esse videtur. Videtur igitur Spiritus Sanctus esse creatura Deo subiecta.

3. Item. Mitti inferioris esse videtur, cum (3) in mittente importetur auctoritas. Spiritus autem Sanctus à patre, & filio mittitur: dicit enim Dominus Joannis xiv. 26. *Paraclytus Spiritus Sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia: & Joannis x. 26. Cum venerit paraclytus, quem ego mittam vobis à patre, Spiritus ergo Sanctus & pater, & filio minor esse videtur.*

4. Adhuc. Scriptura divina filium patri associans in his quæ Divinitatis esse videntur, de Spiritu Sancto mentionem non facit, ut patet Matth. xi. 27. cum Dominus dicit: *Nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius: de Spiritu Sancto mentionem non facit: & Joann. xvii. 3. dicitur: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum: ubi etiam de Spiritu Sancto mentio non fit.* Apostolus etiam ad Rom. i. 7. dicit: *Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo: & I. ad Corinth. vii. 6. Nobis unus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* In quibus etiam nihil de Spiritu Sancto dicitur. Videtur igitur Spiritus Sanctus Deus non esse.

5. Amplius. Omne quod movetur, creatum est: ostensum est enim in primo, Deum immobilem esse. Spiritui autem Sancto Scriptura divina motum attribuit: dicitur enim Genes. i. 2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas: & Joel. ii. 28. Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Videtur igitur Spiritus Sanctus creatura esse.

6. Præterea. Omne quod potest augeri, vel dividi, mutabile est, & creatum. Hoc autem Spiritui Sancto in Scripturis sacris attribui videtur: dicit enim Dominus Numeri xi. 16. ad Moysen: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel: & auferam de Spiritu tuo, & tradamque eis; & IV. Regum ii. 10. dicitur, quod Elisæus ab Elia petiit: Obsecro, quod fiat spiritus tuus duplex in me: Et Elias respondit: Si videris quando tollar à te, erit quod petisti.* Videtur ergo Spiritus Sanctus esse mutabilis, non esse Deus.

7. Item. In Deum tristitia cadere non potest; cum tristitia passio quædam sit, Deus autem impassibilis est. Cadit autem tristitia in Spiritum Sanctum: unde Apostolus dicit ad Ephesios iv. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei: & Isai. lxiii. 10. dicitur: Ipsi ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum Sanctum ejus.* Videtur igitur Spiritus Sanctus Deus non esse.

8. Adhuc. Deo non convenit orare, sed magis orari. Spiritum autem Sanctum orare convenit: dicitur enim ad Rom. viii. 26. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Spiritus ergo Sanctus non esse Deus videtur.

9. Amplius. Nullus congrue donat nisi id cuius habet dominium. Sed Deus pater dat Spiritum Sanctum, & similiter filius: dicit enim Dominus Lucæ xi. 13. *Pater vester de cælo dabit spiritum bonum peccantibus se: & Actuum v. Petrus dicit, quod Deus*

(3) Al. in mente. (4) Vulgata Spiritum Sancti ejus. (5) Al. sane adverbium. (6) Vulgata Dominus. (7) Vulgata spiritus.

Spiritum Sanctum dedit obedientibus sibi. Ex his igitur videtur quod Spiritus Sanctus Deus non sit.

10. Item. Si Spiritus Sanctus verus Deus est, oportet quod naturam divinam habeat; & sic cum Spiritus Sanctus à patre procedat, ut dicitur Joannis xv. necesse est quod ab eo naturam divinam accipiat. Quod autem accipit naturam ejus à quo producitur, ab eo generatur: proprium enim est geniti ut in similem speciem sui principii producat. Spiritus ergo Sanctus genitus erit, & per consequens filius: quod (5) sanæ fidei repugnat.

11. Præterea. Si Spiritus Sanctus naturam divinam à patre accipit, & non quasi genitus, oportet divinam naturam duobus modis communicari, scilicet per modum generationis, quo procedit filius, & per illum modum quo procedit Spiritus Sanctus. Hoc autem uni naturæ competere non videtur ut duobus modis communicetur, si quis universas naturas inspiciat. Oportet igitur, ut videtur, cum Spiritus Sanctus naturam per generationem non accipiat, quod nullo modo accipiat eam; & sic videtur non esse verus Deus.

Fuit autem hæc positio Arii, qui filium, & Spiritum Sanctum dixit esse creaturas; filium tamen majorem Spiritu Sancto, & Spiritum Sanctum ejus ministerium, sicut & filium minorem patre esse dicebat. Quem etiam quantum ad Spiritum Sanctum securus est Macedonius, qui de patre & filio recte sensit, quod unius & ejusdem substantiæ sint; sed hoc de Spiritu Sancto credere noluit, creaturam eum esse dicens. Unde quidam Macedonios Semiarianos vocant, eo quod cum Arianis in parte conveniant, & in parte differunt ab eisdem.

CAPUT XVII.

Quod Spiritus Sanctus sit verus Deus.

Ostenditur autem evidentibus Scripturæ testimoniis, quod Spiritus Sanctus sit Deus.

1. Nulli enim templum consecratur nisi Deo: unde & in Psalm. xi. 5. dicitur: (6) *Deus, in templo sancto suo.* Deputatur autem templum Spiritui Sancto: dicit enim Apostolus I. ad Cor. vi. 19. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti? Spiritus ergo Sanctus Deus est; & præcipue cum membra nostra, quæ templum Spiritus Sancti esse dicit, sint membra Christi: nam supra vers. 15. præmiserat: Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Inconveniens autem esset, cum Christus sit verus Deus, ut ex superioribus patet, quod membra Christi templum Spiritus Sancti essent, nisi Spiritus Sanctus Deus esset.*

2. Item. A Sanctis latriæ servitus non nisi vero Deo exhibetur: dicitur enim Deuter. vi. 13. *Domine Deum tuum timebis, & illi soli servies.* Serviant autem Sancti Spiritui Sancto: dicit enim Apostolus Philipp. iiii. 3. *Nos sumus circumcisio, qui (7) spiritu Domini servimus.* Et licet quidam Libri habeant: *Qui spiritu Domini servimus:* tamen græci Libri, & antiquiores Latini habent: *Qui spiritui Deo servimus.* Et ex ipso græco apparet quod hoc de servitute latriæ intelligendum est, quæ soli Deo debetur. Est igitur Spiritus Sanctus verus Deus, cui latria debetur.

3. Adhuc. Sanctificare homines, proprium Dei opus est: dicitur enim Levitici xxii. 9. *Ego Dominus*

nis, qui sanctifico vos. Est autem Spiritus Sanctus qui sanctificat: dicitur enim Apostolus I. Corinth. vi. 11. Abluit, & sanctificati estis: justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in spiritu Dei nostri: & II. ad Thessal. 11. 13. dicitur: (1) Elegit nos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus, & fide veritatis. Oportet igitur Spiritum Sanctum Deum esse.

4. Amplius. Sicut vita naturæ corporis est per animam, ita vita justitiæ ipsius animæ est per Deum: unde Dominus dicit Joannis vi. 58. Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem: & qui manducavit me, & ipse vivet propter me. Hujusmodi autem vita est per Spiritum Sanctum: unde ibidem 64. subditur: Spiritus est qui vivificat: & ad Rom. vii. 13. dicit Apostolus: Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis: Spiritus ergo Sanctus divinæ naturæ est.

5. Præterea. Dominus in argumentum suæ Divinitatis contra Judæos, qui sustinere non poterant ut se æqualem Deo faceret, asserit in se esse resuscitandi virtutem, dicens Joannis v. 21. Sicut pater suscitavit mortuos, & vivificavit; sic & filius quos vult, vivificabit. Virtus autem resuscitativa ad Spiritum Sanctum pertinet: dicit enim Apostolus ad Rom. vii. 11. Si spiritus ejus qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, habitavit in vobis; qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis. Spiritus ergo Sanctus est divinæ naturæ.

6. Item. Creatio solius Dei opus est, ut supra cap. xxi. Lib. II. ostensum est. Pertinet autem creatio ad Spiritum Sanctum: dicitur enim in Psalm. cxi. 30. (2) Emitte spiritum tuum, & creabuntur: & Job xxxiii. 4. dicitur: Spiritus Dei fecit me: & Eccli. i. 9. dicitur de Deo: Ipse creavit illam, scilicet sapientiam (3) Spiritu Sancto. Est ergo Spiritus Sanctus divinæ naturæ.

7. Adhuc. Apostolus dicit I. ad Cor. 11. 10. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi spiritus Dei. Comprehendere autem omnia profunda Dei, non est alicujus creaturæ: quod patet ex hoc quod Dominus dicit Matth. xi. 27. Nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius: & Isai. xlv. 16. ex persona Dei dicitur: Secretum meum mihi. Ergo Spiritus Sanctus non est creatura.

8. Præterea. Secundum prædictam Apostoli comparationem, Spiritus Sanctus se habet ad Deum sicut spiritus hominis ad hominem. Spiritus autem hominis intrinsecus est homini, & non est extraneæ naturæ ab ipso, sed est aliquid ejus. Igitur & Spiritus Sanctus non est naturæ extraneæ à Deo.

9. Amplius. Si quis conferat verba Apostoli præmissa verbis Isaïæ Prophætæ; manifeste percipiet Spiritum Sanctum Deum esse: dicitur enim Isaïæ lxi. 4. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te: quæ quidem verba Apostolus, cum introduxisset, subiungit verba præmissa, scilicet quod spiritus scrutatur profunda Dei. Unde manifestum est quod Spiritus Sanctus illa profunda Dei cognoscit quæ præparavit expectantibus eum. Si ergo hæc nullus vidit præter Deum, ut Isaïas dicit; manifestum est Spiritum Sanctum Deum esse.

10. Item. Isai. vi. 8. dicitur: Audi vocem Dei dicentis: Quem mittam, & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Et dixit: Vade, & dices populo huic:

(1) Vulgata: quod elegerit vos Deus, &c. (2) Vulgata

Audite audientes, & nolite intelligere. Hæc autem verba Paulus Spiritui Sancto attribuit: unde dicitur Act. ult. 25. quod Paulus dixit Judæis: Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis. Manifestum est ergo Spiritum Sanctum Deum esse.

11. Adhuc. Ex sacris Scripturis apparet Deum esse qui loquutus est per Prophetas: dicitur enim Numeri xii. 6. ex ore Dei: Si quis fuerit inter vos Prophetâ Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium, idest per spiritum meum, loquar ad illum: & in Psalm. lxxxiv. 9. dicitur: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Manifeste autem ostenditur Spiritum Sanctum locutum esse in Prophetis: dicitur enim Actuum 1. 16. Oportet enim impleri Scripturam quam prædixit Spiritus Sanctus per David: & Matth. xxii. 43. Dominus dicit: Quomodo dicunt Scribæ Christum filium David esse? Ipse enim dicebat in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: & II. Pet. i. 21. dicitur: Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines. Manifeste ergo in Scripturis colligitur Spiritum Sanctum Deum esse.

12. Item. Revelatio mysteriorum proprium opus Dei ostenditur in Scripturis: dicitur enim Daniel. 11. 28. Est Deus in cælo revelans mysteria. Mysteriorum autem revelatio opus Spiritus Sancti ostenditur: dicitur enim I. ad Corinth. 11. 10. Nobis revelavit per spiritum suum: & xiv. 2. dicitur: Spiritus loquitur mysteria. Spiritus ergo Sanctus Deus est.

13. Præterea. Interius docere, proprium opus Dei est: dicitur enim in Psalm. xciii. 10. de Deo: Qui docet hominem scientiam: & Daniel. 11. 21. Dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus discipulam. Hoc autem proprium opus Spiritus Sancti esse manifestum est: dicit enim Dominus Joannis xiv. 26. Paraclytus Spiritus Sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Spiritus ergo Sanctus est divinæ naturæ.

14. Adhuc. Quorum est eadem operatio, oportet esse eandem naturam. Est autem eadem operatio filii, & Spiritus Sancti. Quod enim Christus in Sanctis loquatur, Apostolus ostendit II. ad Corinth. ult. 3. dicens: An experimentum quaeritis ejus qui in me loquitur Christus? Hoc etiam opus Spiritus Sancti esse manifeste apparet: dicitur enim Matth. 10. 20. Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Est ergo eadem natura filii, & Spiritus Sancti, & per consequens patris; cum ostensum sit, patrem, & filium unam naturam habere.

15. Amplius. Inhabitare mentes Sanctorum, proprium Dei est: unde Apostolus dicit II. ad Corinth. vi. 16. Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus: Quoniam inhabitabo in illis. Hoc autem idem Apostolus Spiritui Sancto attribuit: dicit enim I. ad Corinth. 11. 16. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis? Est ergo Spiritus Sanctus Deus.

16. Item. Esse ubique, proprium Dei est, qui dicit Hierem. xlii. 24. Cælum, & terram ego impleo: & hoc Spiritui Sancto convenit: dicitur enim Sapientia 1. 7. Spiritus Domini replebit orbem terrarum: & in Psalm. cxxxv. 7. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? & Si ascendero in cælum, tu illic es &c. Dominus etiam discipulis dicit Actuum 1. 8. Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos,

(1) Vulgata: cor omnium.

et eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ. Ex quo patet quod Spiritus Sanctus ubique est, qui ubique, & ubicumque existens inhabitat. Spiritus ergo Sanctus Deus est.

17. Præterea. Expresse in Scriptura Spiritus Sanctus nominatur: dicit enim Petrus Actuum v. 3. Anania, cum tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto: & postea subdit: Non est mentitus hominibus, sed Deo. Spiritus ergo Sanctus est Deus.

18. Item. I. ad Corinth. xiv. 2. dicitur: Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo. nemo enim audit; spiritus autem loquitur mysteria. Ex quo dat intelligere quod spiritus loquebatur in his qui variis linguis loquebantur. Postmodum autem dicit: In lege scriptum est: Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic; & nec sic exaudiet me, dicit Dominus. Spiritus ergo Sanctus, qui loquitur mysteria diversis labiis, & linguis, Deus est.

19. Adhuc. Post pauca, versic. 24. subditur: Si omnes prophetent, intrat autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus; dicitur ab omnibus: occulta enim cordis ejus manifesta fiunt; & ita cadens in faciem adorabit Deum pronuntians, quod verum Deus in vobis sit. Patet autem per id quod præmisit, quod spiritus loquitur mysteria, quod manifestatio occultorum cordis à Spiritu Sancto fit; quod est proprium Divinitatis signum: dicitur enim Hierem. xvii. 9. Prævarum est (1) cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, & probans renes. Unde ex hoc judicio etiam infidelis pendere dicitur, quod ille qui hæc occulta cordium loquitur, sit Deus. Ergo Spiritus Sanctus Deus est.

20. Item. Patrum post I. Cor. xiv. 32. dicit: Spiritus Prophetarum. Prophetis subiecti sunt: non enim est dissensio in Deo, sed pax. Gratia autem Prophetarum, quas spiritus Prophetarum nominaverat, à Spiritu Sancto suat. Spiritus ergo Sanctus, qui hujusmodi gratias sic distribuit, ut ex eis non sit dissensio, sed pax sequatur, Deus esse ostenditur in hoc quod dicit: Non est dissensio in Deo, sed pax.

21. Amplius. Adoptare in filios Dei non potest esse opus alterius nisi Dei: nulla enim creatura spiritualis dicitur filius Dei per naturam, sed per adoptionem gratiam: unde & hoc opus filio Dei, qui verus Deus est, Apostolus attribuit, ad Galat. iv. 4. dicens: Misit Deus filium suum. ut adoptionem filiorum reciperemus. Spiritus autem Sanctus est adoptionis causa: dicit enim Apostolus ad Rom. vii. 15. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Ergo Spiritus Sanctus non est creatura, sed Deus.

22. Item. Si Spiritus Sanctus non est Deus, oportet quod sit aliqua creatura. Planum est autem quod non est creatura corporalis, nec etiam spiritualis: nulla enim creatura spirituali creaturæ infunditur, cum creatura non sit participabilis, sed magis participans. Spiritus autem Sanctus infunditur Sanctorum mentibus, quasi ab eis participatus: legitur enim & Christus plenus fuisse, & etiam Apostoli. Non est ergo Spiritus Sanctus creatura, sed Deus.

Si quis autem dicat prædicta opera quæ sunt Dei, Spiritui Sancto attribuit non per auctoritatem, ut Deo, sed per ministerium quasi creaturæ: expresse hoc esse falsum apparet ex his quæ Apostolus dicit I. Cor. xii. 6. dicens: Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus: & postea connumeratis diversis donis Dei, subdit: Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult: ubi manifeste expressit Spiritum Sanctum Deum esse: tum ex eo quod Spiritum Sanctum operari dicit quæ supra dixerat Deum operari: tum ex hoc quod eum pro suæ voluntatis arbitrio operari confiteretur. Manifestum est igitur Spiritum Sanctum Deum esse.

3. Item. Sacra Scriptura manifeste de Spiritu Sancto loquitur tamquam de persona divina subsistente: dicitur enim Actuum xiii. 2. Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus, dicit illis Spiritus Sanctus; Segregate mihi Barnabam, & Saulum in opus ad quod assumpsi eos: & infra: Et ipsi quidem missi à Spiritu Sancto, abierunt: & Actuum xv. 28. dicitur: Dicunt Apostoli: Visum est Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris &c. quæ de Spiritu Sancto non dicerentur, nisi esset subsistens persona. Est igitur Spiritus Sanctus subsistens persona.

4. Amplius. Cum pater, & filius sint personæ subsistentes, & divinæ naturæ, Spiritus Sanctus non connumeraretur eisdem, nisi ipse esset persona subsistens in divina natura. Connumeratur autem eisdem, ut patet Matth. ult. 19. dicente Domino discipulis: Quæcunque alligaveritis super terram, &c. (1) Vulgata cor omnium.

cap. I. Cor. xii. 6. dicens: Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus: & postea connumeratis diversis donis Dei, subdit: Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult: ubi manifeste expressit Spiritum Sanctum Deum esse: tum ex eo quod Spiritum Sanctum operari dicit quæ supra dixerat Deum operari: tum ex hoc quod eum pro suæ voluntatis arbitrio operari confiteretur. Manifestum est igitur Spiritum Sanctum Deum esse.

CAPUT XVIII.
Quod Spiritus Sanctus sit subsistens persona.

SED quia quidam Spiritum Sanctum asserunt non esse personam subsistentem, sed vel ipsam Divinitatem patris, & filii, ut quidam Macedoniam dixisse perhibentur, vel etiam aliquam accidentalem perfectionem mentis à Deo nobis donatam, puta sapientiam, vel charitatem, vel aliquid hujusmodi, quæ participatur à nobis, sicut quædam accidentia creata: contra hoc ostendendum est, Spiritum Sanctum non esse aliquid hujusmodi.

1. Non enim formæ accidentales proprie operantur, sed magis habens eas pro suæ arbitrio voluntatis: homo enim sapiens utitur sapientia cum vult. Sed Spiritus Sanctus operatur pro suæ arbitrio voluntatis, ut cap. præc. ostensum est. Non igitur est æstimandus Spiritus Sanctus velut aliqua accidentalis perfectio mentis.

2. Item. Spiritus Sanctus, ut ex Scripturis docemur, causa est omnium perfectionum humanæ mentis: dicit enim Apostolus ad Rom. v. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis: & I. ad Corinth. xiii. 8. Alii per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem spiritum; & sic de aliis. Non ergo Spiritus Sanctus est æstimandus quasi aliqua accidentalis perfectio mentis humanæ, cum ipse omnium hujusmodi perfectionum causa existat.

Quod autem in nomine Spiritus Sancti designetur essentia patris, & filii, & sic à neutro personaliter distinguatur, repugnat his quæ divina Scriptura de Spiritu Sancto tradidit. Dicitur enim Joannis xv. quod Spiritus Sanctus procedit à patre: & Joannis xvi. quod accipit à filio: quod non potest de divina essentia intelligi, cum essentia divina à patre non procedat, nec à filio accipiat. Oportet igitur dicere, quod Spiritus Sanctus sit subsistens persona.

3. Item. Sacra Scriptura manifeste de Spiritu Sancto loquitur tamquam de persona divina subsistente: dicitur enim Actuum xiii. 2. Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus, dicit illis Spiritus Sanctus; Segregate mihi Barnabam, & Saulum in opus ad quod assumpsi eos: & infra: Et ipsi quidem missi à Spiritu Sancto, abierunt: & Actuum xv. 28. dicitur: Dicunt Apostoli: Visum est Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris &c. quæ de Spiritu Sancto non dicerentur, nisi esset subsistens persona. Est igitur Spiritus Sanctus subsistens persona.

4. Amplius. Cum pater, & filius sint personæ subsistentes, & divinæ naturæ, Spiritus Sanctus non connumeraretur eisdem, nisi ipse esset persona subsistens in divina natura. Connumeratur autem eisdem, ut patet Matth. ult. 19. dicente Domino discipulis: Quæcunque alligaveritis super terram, &c.

(1) Vulgata cor omnium.